

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico Heideggero professore Tigurino adversus sacras**

**Reding, Augustin**

**Monasterii Einsidlensis, 1669**

Dissertatio II.

[urn:nbn:de:bsz:31-162659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162659)

## DISSERTATIO II.

*Quenam Dedicacionis proximè descripta ex ipsomet Heideggero desumantur valida argumenta.*

I. **H**eideggerus ait, se nescire, ex quibus monumentis deprompta sit illa Eremitani Divinitus consecrati Sacelli historia. At idem Doctor meminit Sancti Conradi tanquam testis de visu. Cuius attestacioni in libro *de Secretis Secretorum* descriptæ, si minus fidem habere velit, dignum planè erit, publico saltem Instrumento in præsentia Imperatoris Othonis I. ejusque filij Othonis II. nec non Imperatricis Adelheidis, ac plurimum tam Romanorum, quàm Teutonicorum Principum Anno ab Incarnatione Domini nongentesimo, sexagesimo quarto, IV. Idus Novembris edito, in tantum habere fidem, ut vel attentâ tantorum Principum & autoritate, & in rebus considerandis maturo judicio, historia illa per publicum illud Instrumentum

tum asserta & approbata, sufficiens nacta, & sit validum Veritatis monumentum. Nec est, cur illud Instrumentum, utpote manu Papæ firmatum, repudietur à Dōctore Tigurino, nisi frequenti Germaniæ Procerum pro illâ approbatione suis consilijs concurrentium Archiepiscoporum, scilicet Moguntinensis, & Coloniensis, & Episcoporum Wormatiensis, Hildenheimensis, Mirmidonensis, Argentinensis, Augustensis, Curienensis, nec non Abbatum Augiensis, & S. Galli, & aliorum quàm plurimum in Bullâ Leonis VIII. allegatorum auctoritatem simul labefactare, & unâ cum Papâ, ac prænominatis Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus, ipsum etiam Imperatorem, ac Imperatricem, multosque tam Romanos, quàm Teutonicos Principes illi approbationi præsentis de levitate arguere præsumat.

II. Fatetur Heideggerus, ex quo vulgatum, creditumque est, à Christo & Angelis in honorem Deiparæ Virginis.

nis Sacellum Einsidlenſe glorioſè dedi-  
catum & conſecratum eſſe, maximo  
confluentium concuſſu tanquam Sa-  
croſanctum, & gratijs impertiendis di-  
tiſſimum frequentari cœpiſſe, hodieque  
maximo ſtudio frequentari ſolere. At  
non tantum ex hitoriâ illius Dedicatio-  
nis per authores antiquiſſimos descrip-  
tâ, ſed ex vivo ſancti Antiftitis Conradi  
Constantienſis, imò & voce cœleſti à  
prætacto S. Conrado, & Divo Udalrico  
Auguſtano Epifcopo, imò & univerſo  
tunc præſente populo An. 948. 14. Sep-  
tembris ter auditâ, ceu firmis per Au-  
thoritatem plurium Epifcoporum ac  
Principum tam Romanorû, quàm Ger-  
manorum, ipſiuſq; Imperatoris & Im-  
peratricis, ac Papæ An. 964. IV. Idûs No-  
vembris, approbatis argumentis con-  
ſtat, illam Divinitus factam Conſecra-  
tionem à tempore proximè relato cre-  
ditam, vulgatamquè eſſe. Ex ipſâ igitur  
confeſſione Heideggeri ab iſto an-  
tiquiſſimo tempore maximo confluen-  
tium.

tium concursu Sacellum Einsidlenſe tanquam Sacroſanctum, & gratijs imperiendis ditiffimum frequentari cœpit, hodieq; maximo ſtudio frequentari ſolet. At verò inter cæteras probationum ſpecies, ſiſtendo etiam inter ſolum lumen naturale, una & præcipua eſt, obſervantia ſubſecuta, & duratio continua per tempus memoriam hominum excedens, ita ut omninò credendum & iudicandum ſit, quòd tanti temporis obſervantia continuata à titulo illo præcedenti defluerit, & durationem illam acceperit. *Ex leg. Quadam Mulier. ff. de rer. vendicatione. l. Si à te. ff. Si ſervitus vendicetur. l. Prædia. De acquirendâ poſſeſſ. & ex communi conſenſu Jurisconſultorum.* Cùm igitur fateatur Heideggerus, Sacellum Einsidlenſe tanquam Sacroſanctum ab illo antiquiſſimo tempore obſervantiâ in hodiernum uſque diem continuatâ fuiſſe frequentatum ex illo titulo, quòd vulgatum, creditumquè ſit, à Chriſto, ejuſquè Angelis in honorem Virginis Dei paræ

B. 72. 7. 117. 115.

paræ gloriôsè consecratum esse, evi-  
denter sequitur, illum Tigurinum Do-  
ctorem, nisi à naturali etiam lumine alie-  
nus esse velit, debere credere, & judica-  
re, quòd sanctitas illius Sacelli, & hinc  
frequentata eius observantia ex illo Di-  
vinæ Consecrationis titulo sit orta, &  
conservata: dubietas enim tituli primor-  
dialis si qua potuisset esse, debet ex even-  
tu subsecuto certificari. *l. Minime. & l. Si  
de Interpret. ff. de Leg. Et à primordio tituli  
posterior formatur eventus. l. Prima. cir-  
ca finem. C. De imponend. lucrat. descript.*

III. Et verò Veritatis etiam Divinæ  
ac Fidei supernaturalis firmissimum de-  
sumitur argumentum ab Antiquitate  
continuata, & nunquam interrupta, ad  
eò, ut Divus Augustinus *lib. contra Episto-  
lam fundamenti. cap. 4.* Antiquitatem po-  
suerit inter notas veræ Ecclesiæ, & do-  
ctrinæ Orthodoxæ. Taceo brevitatis  
gratiâ reliquorum Sanctorum Patrum  
ex ipsorum libris passim obvias senten-  
tias, quibus vetustatem Doctrinæ con-  
tinua-

tinuatam, & populi fidelis consensum tenent pro firmo veritatis Divinae argumento, ita ut Divus quoque Augustinus *cit. cap. 4.* asserat, inter alia, quae ipsum in gremio Catholicae Ecclesiae contineant, esse consensionem populorum, atque gentium. Imò istam in Mysterijs supernaturalibus observantiae continuationem esse effectum infallibilem Divinae institutionis, asseruit ille Legis-doctor Gamaliel *Act. 5.* *Si ex hominibus, inquit, est consilium, aut opus, dissolvetur. Si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere.* Quam equidem continuatam observantiam, & Antiquitatem pro veritatis Divinae notâ agnoscunt etiam Doctores, uti se vocant, Reformati, dum suae quoque doctrinae istud argumentum conciliare contendunt, affirmando, suam de novo reproductam doctrinam non fuisse ab Ecclesia eliminatam, sed nescio ubi, delituisse. Quibus tamen opponi posset illud Tertulliani *lib. de praescript. cap. 37.* *Qui estis vos? unde, & quando venistis? ubi tam deum latuistis?*

Ve-

Verum his missis, ad institutum nostrum  
 progrediendo, ipsius Heideggeri pro-  
 priam confessionem adduco; ait enim **B. I**  
 §. 15. lippis & tonsoribus notum esse, **p. 1**  
 quantâ hodiequè in veneratione sit Ere-  
 mitanum Deiparæ Virginis Sacellum,  
 ex quo vulgata & credita fuit eius Divi-  
 nitus facta Consecratio. Si ergo istud  
 Sacellum sacrosanctum Divinæ Conse-  
 crationis argumentum habet ex devotâ  
 fidelium septingentorum annorum ob-  
 servantiâ nunquam interruptâ, hodieq;  
 per communem Catholicorum consen-  
 sum continuatâ, fatendum omninò est,  
 talem Consecrationem nisi Divino qua-  
 si argumento, & notâ veritatis infallibi-  
 lis. Certè Dogma Lutheri de Corporis  
 Christi in Sacramento Eucharistiæ præ-  
 sentiâ Zwinglio, eiusque sectatoribus  
 adeò erat olim exosum, ut Anti-Chri-  
 stianum, Eutychnû, monstrosum, ab-  
 surdissimum, &c. vocitârint. Et tamen  
 nuperrimè Professor Tigurinus Hein-  
 ricus Hottingerus, in suâ ult. synod. Dissert.  
 voluit



voluit esse Adiaphorum, cuiusq; ad credendum licentiæ expositum. Unde clarè evincitur, illud Zwinglianū dogma non ità habere veritatis Divinæ notā ex continuatā observantiā firmatam, ac illud de Divinā Sacelli Einsidlensis Consecratione Mysterium. Quid n̄ ergo dicamus, hanc Divinam Consecrationem majori Divinæ veritatis testimonio niti, quàm Tigurinorum Sacramentum Evcharisticum.

### DISSERTATIO III.

*An non nemo illam Eremitanam Cameram supra Lauretanam extollens, ipsi cultum Latria simul, ac Hyperdulia, & Dulia, nec non vim Venialium ex opere operato remissivam tribuat?*

I. **H**eideggerus §. 15. suæ Dissert. ponit sequentia: Sanè Augustinus Reding in discursu Theologico de Sacello Einsidlensi, disc. 8. & 10. Cameram hanc Ere-